Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 351
Quelle:
Copyright:

2) 7. *mirabilia mundi famoſa.* Nota illa. *Primum mirabile eſt Capitolium rome* &c. 3) Libellus ſupplex ſeu Adlocutio Procuratoris Coenobii *Mellicenſis* O. S. B. in *Auſtria* ad Pontificem pro impetranda Confirmatione Abbatis recens *per libere ac canonice celebratam eleccionem vnanimi conſenſu nemine contradicente* conſtituti. A longe ingreditur Procurator adſumto Themate: *Conſtituit eum dominum domus ſue* &c. *Pſ.* 104. de Regimine Eccleſiae, de Pontificis autoritate, de neceſſariis ei Vicariis &c. Monaſterium vero compellat *a cuiuslibet inferioris Iurisdictione exemptum ſolique veſtre ſanctitati immediate ſubiectum.* Notis omnibus ſive hiſtoricis, ſive chronologicis caret, unde neque in *Anſ. Schrambii Chronico Mellic.* neque in *Mart. Kropfii Bibliotheca Mellic.* quidquam opis mihi fuit.

XXII. *fol.* 296. *Ad Capitulum carthuſienſium.* Sermo prolixus in illud: *Gratia vobis et pax multiplicetur. 1. Pet.* 1. plenus opportunis documentis aſceticis incipit: *Yſidorus 3. de Summo bono c. 10. dicit: Doctrina ſine gratia adiuuante quamuis infundatur auribus* &c. In mox memorata *Bibliotheca Kropfii* p. 178. citatur *Nicolai de Dünkelſpühl Sermo fuſiſſimus ad Carthuſienſe Capitulum*, quem noſtrum eſſe non ambigo, licet in *Codice* noſtro abruptus ſit. Doctores *Vienn.* illo aevo Aſceterlis vicinis ſaepe piam operam impendiſſe, et hic *Sermo*, et alii ab eodem *Nicolao* ad *Mellicenſes* habiti, et alia ab *Henrico de Haſſia* ad Canonicos *Neoburgenſes* ſcripta, atque in his Commentariis relata demonſtrant.

XXIII. *fol.* 307. Opuſculum ἀδέσποτον *de Confeſſione*, cujus initium: *Quoniam iuxta beati gregorij in ſuo paſtorali ſententiam regimen animarum eſt ars artium* &c. Tripartitum eſt, et abit in *Capita*, ſed jam in P. II. c. 6. abrumpitur. Autorem quaeris? Eſt is *Joh. Nider* ex O. P. *Suevus Iſnienſis*, aliquamdiu membrum Conventus et Doctor Acad. *Vien.* cujus Acta et Scripta referuntur cum in *Biblioth.* Ord. ſui T. I. p. 792. tum in *Scriptt. Univ.* noſtrae P. I. p. 112. Ejus Opera prima mox prela occupaverunt, unde noſtrum *Manuale Confeſſorum* adjacet mihi ex editione trium illorum *Germanorum*, qui Artem *Pariſiis* intulere, anni 1473. f.

CCXXIX.

Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 42. f. luculente et a prima manu pernitide ſcriptus, multis tamen locis ob extritas literas atramento denuo inductus, miniatis titulis, olimque, et quidem a. 1501. *e Coenobio Lambacenſi*, quod in ſuperiore *Auſtria* O. S. B. eſt, neſcio quo, adcerſitus continet *Coel. Sedulii* Presb. Sec. V. Scriptoris *Poetica* ſacra, quae jam *Vol.* I. P. 1. *col.* 413. retuli. U. 1013
In *Cod.* praeſenti initium eſt ab Introductione cujusdam Grammatici: *In capite uniuſcuiusque libri VII perioche requirende ſunt. id*

eſt